Nouogus Decanus et Canonicus ac Officialis Cracoviensis Discretis viris dominis Rectoribus Ecclesiarum Ebdomadariis in Pilsno, in Robschicze, in Beth, in Dambrowdal, in Jassel, in Kolaczicze, in Freystat, in Sandgrod, in Thuchow, in Ry-
nicz, in Rozemberg et qui presentibus fuerint requisiti Ecclesiarum Salutem in Domino. Noveritis quod orta dudum coram nobis inter providos viros Nicolaum Sartorem, Johannem Ottosch consules de Weliczka actores ex una et discre-
tum Johannem Rectorem Ecclesie de Robschicze reum parte ex altera de et super libris certisque ornamentis Ecclesiasticis Hospitalis ibidem de Weliczka et eorum occasione materia questionis libellus seu peticio summaria in scriptis pro parte Nicolai
Johannis Ottosch consulum actorum predictorum contra Johannem reum prefatum nunc in iudicium citatum in hec verba oblatus. Coram vobis honorabili viro domino Nalewgio preposito Sandomiriensi canonico et officiali Cracoviensi proponunt honesti vi-
ri domini Nicolaus Sartor et Johannes consules suo et aliorum consulum civitatis de Weliczka predictum Hospitalis ibidem de Weliczka et eiusdem hospitalis nominibus contra et adversus Johannem alias agrum hospitalis de Weliczka nunc vero Rectorem
ecclesie de Robschicze et dicunt iudicialiter constituti quod cum quia licet in hospitali de Weliczka cuius inspeccio ad Consules predictos dinoscitur pertinere tempore tenuit Johannes predictus res et bona infrascripta ad dictum hospitale spectancia
et pertinencia fuerunt extiterunt et in possessione ac presertim easdem res aliquamdiu dictum Hospitale existebat pacifice et quiete videlicet liber missalis valentem xij marcas liber viaticus valentem viginti marcas Crux argentea deaurata cum ligno
domini sancte Crucis valentem xl marcas liber Gradualis valentem tres marcas liber psalterii valentem unam marcam lapis altaris viaticus consecratus valentem viginti grossos Campane de quo metallo valentem tres marcas duos ornatos
valencium viginti marcas et hec omnia grossorum nunc et monete regni Polonie et currentis pagamenti dumtaxat quinquaginta valencium lxxv marcas et octo grossos adminus. Tamen predictus Johannes a predicto Hospitali et eius regimine rece-
dens res predictas rapuit et de predicto hospitali abduxit quo sibi placuit et eisdemque rebus hospitale predictum spoliando possessione earundem iniuste. Et quia ad prenominatos actores spectat cura et honor ac defensio hospitalis predicti. Reverende domine
Reverende domine Iudex petunt quo supra nomine Consules memorati res et bona supradicta in hospitali predicto remisisse et in easdemque rerum possessione hospitale predictum possessione ac presertim extitisse per predictum Johannem possessione rerum predictarum hospi-
tale predictum spoliatum fuisse dictumque hospitale in possessione rerum et bonorum eorundem restituendum fore et restitui debere predictumque Johannem ad restituendum res et bona predicta et ad satisfaciendum per eisdem de lxxv marcis et viginti grossis
predicto memorato hospitali condempnandum fore et condempnari debere predictumque Johannem prefatis consulibus et provisoribus hospitalis predicti ad litis expensas condempnandum fore et condempnari pronunciari decerni et declarari condempnatumque ad satisfa-
ciendum compelli per vos et vestram sentenciam diffinitivam censura ecclesiastica mediante. Et premissa petunt modo via iure et forma melioribus quibus possunt salvis ipsis omnibus beneficiis iuris scilicet addendi minuendi corrigendi interpretandi declaran-
di resolvendi et alias de novo dandi loco et tempore oportunis non astringentes se ad superflua probanda sed ad ea solum que ipsos probata possunt relevare. Ad quamquidem peticionem seu libellum Johannes Rector et reus predictus Responsiones
obtulit in hec verba. Dominus Johannes Rector ecclesie de Robschicze alias magister domus Hospitalis Weliczensis animo litem contestandi ad libellum Nicolai Sartoris et Johannis suorum et aliorum consulum de Weliczka nomine contra ipsum dominum Johannem
oblatum negat res infrascriptas spectare et pertinere ad ipsum Hospitale nec dictum Hospitale fuisse et extitisse in possessione ac impresentiarum aliquamdiu dictarum rerum sed confitetur dictas res infrascriptas comparasse et emisse pro suis propriis
pecuniis ac certa ipsum hospitale de suis propriis laboribus acquisivit videlicet unum librum missalem emisse pro xij marcis et illum librum tenet certa se pro utilitate et necessitate ecclesie sue. Item librum viaticum scribi ordinavit pro iiij marcis
in expensis suis propriis pro victu et precariis suo et illum librum habet certa se. Item negat fuisse plures Cruces argenteas sed confitetur unam Crucem cupream deauratam et ipsam Crucem comparavit pro viij fertonibus grossorum
de suis propriis pecuniis et laboribus et cum ligno sancte Crucis donavit ipsum dominum Johannem quidam dominus Johannes dictus Jelitko alias Custos Sandomiriensis nunc canonicus Crucis et unde habuit de ligno sancte Crucis ipse dominus Johannes
Rector predictus donavit prefatum dominum custodem cum uno libro psalterii quod psalterium comparavit ipse dominus Johannes Rector predictus pro tribus marcis de suis propriis laboribus et sumptibus negat autem aliquam Crucem fuisse argenteam
pro xl marcis in dicto hospitali Item librum Gradualem pro tribus marcis et librum psalterii pro una marca confitetur comparasse pro suis propriis pecuniis et laboribus Item confitetur unum lapidem viaticum procurasse in dicto hospitali et
alibi dimisit in eodem hospitali sed que lapidem comparavit pro suis pecuniis illum pro se recepit Item confitetur habuisse duos ornatos unum comparavit pro suis pecuniis et secundum ornatum dedit sibi quedam domina Katherina
institrix ibidem de Weliczka propter deum et ut compleret pro anima mariti sui xxx missas et xxx vigilias novem leccionum et si predicta domina solvet eidem domino Johanni eosdem labores ipse est eciam paratus restituere dictum
ornatum Item confitetur vendidisse unam Campanam pro viij fertonibus grossorum et loco dicte campane emit aliam meliorem campanam pro tribus marcis et eandem campanam dimisit ecclesie eiusdem Hospitalis et pro predicta
Campana construxit campanile de tribus marcis cetera autem negat in dicto libello contenta. Deinde actores predicti posiciones et articulos produxerunt in hec verba. Posiciones et articulos infrascriptos dant faciunt et exhibent
pro iure et nomine providorum honestorum virorum dominorum Nicolai Sartoris Johannis et aliorum consulum de Weliczka ibidem et provisorum ecclesie Hospitalis de Weliczka ad quos petunt per Johannem Rectorem ecclesie de Robschicze medio suo iura-
mento responderi. In primis itaque ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod dominus Johannes pro tempore et tempora quibus fuit magister Hospitalis in Weliczka nulla propria bona et hereditaria obtinebat ex quibus sibi proprie pecunie et labores
diminuerentur Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod pro tempore et tempora predicta idem Johannes bona omnia tam spiritualia quam temporalia hospitalis tantummodo predicti de Weliczka de quibus sibi nomine ecclesie dicti hospitalis et eiusdem hos-
pitalis provenerunt et colligebantur easdem curam se retinendo Item ponit et si negatum fuerit probare intendunt quod dominus Johannes pro tempore et tempora predicta ecclesiam et hospitale in Weliczka regendo et tenendo et eosdem bona predicta spiritualia
et temporalia regendo et de eisdem pecuniis et proventibus recipiendo res infrascriptas nomine ecclesie dicti hospitalis et eiusdem hospitalis comparavit stando circa ipsum hospitale videlicet unum missale librum ut ipse solus confitetur pro xij marcis
Item librum viaticum pro iiij marcis Crucem de auratam ut ipse asserit et confitetur pro viij fertonibus Item psalterium pro una marca Item librum Gradualem pro tribus marcis Item unum lapidem viaticum altaris Item duos ornatos de
de quibus eciam ipse confitetur Item campanam et alias res in libello predicto sunt contentas Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod lignum sancte Crucis de quo est questio dominus Johannes Jelitko donavit ecclesie hospitalis
ancti Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod ex quo dominus Johannes pro tempore et tempora predicta quibus dictum hospitale et eius ecclesiam regebat tantummodo bona spiritualia et temporalia dicti hospitalis et eius ecclesie obtinebat et procuravit
dumtaxat easdem levabat presumitur quod pecunias predictas quas exposuit dominus Johannes pro rebus suprascriptis levaverat et aggregaverat de bonis dictis hospitalis et eius ecclesie predictorum et fuerunt pecunie eiusdem hospitalis et
eius ecclesie predictorum et similiter res supradicte fuerunt et sunt memorati hospitalis et eius ecclesie supradicte Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod ecclesia predicta hospitalis de Weliczka in predictis ornatibus et in libris missali
Graduali missali in psalterio ac aliis predictis libris officia divina fuerunt multis annis et temporibus celebrata tam per predictum Johannem quam per alios presbiteros et clericos supradictos et Crux predicta cum ligno domini in ecclesia eiusdem hospi-
talis et reliquiis exponebatur et exponebantur tamquam ipsa ecclesie hospitalis predicti et ut clare possunt tenebantur palam publice et notorie Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod res supradicte omnes et singule et singulariter
missale viaticus ornati Crux psalterium lapis altaris viaticus Campana in ecclesia hospitalis predicti reservabantur habebantur ipsaque ecclesia hospitalis supradicti in possessione rerum supradictarum fuit aliquamdiu pacifica et quieta Item
ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod dominus Johannes ecclesiam et hospitale predictum rebus predictis omnibus et singulis spoliavit et spoliari mandavit qua spoliacione nomine suo factam ratam habuit Item ponunt et si negatum
fuerit probare intendunt quod dictum hospitale restitui debet in possessione rerum supradictarum Item ponunt et si negatum fuerit probare intendunt quod de premissis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama. Ad quasquidem posiciones
Johannes reus predictus Responsiones in scriptis obtulit huiusmodi continencie et tenoris. Ego Johannes Rector ecclesie de Robschicze alias magister hospitalis de Weliczka ad articulos contra me pro parte Nicolai Sartoris et Johannis ac aliorum consulum ibidem de
Weliczka oblatos per iuramentum calumpnie respondeo. Et primo ad primum articulum credo quod pro tempore et tempora descripta in articulis predictis fui magister eiusdem hospitalis et ecclesie predicti hospitalis a prima fundacione eiusdem hospitalis Item credo quod bona hereditaria et pecunias
que pertinebant ad eundem hospitale obtinebam et percipiebam sed tamen cum vitricis et procuratoribus infrascriptis videlicet cum Stanislao textore Johanne Herbordi Wilhelmo sectore Barthossio dicto Schustel Petro dicto Kolga et Johanne dicto Szymanina Item ad secundum articulum
credo quod bona et pecunie que pertinebant ad dictum hospitale colligebam et percipiebam sed tamen cum vitrico qui michi de vitricis suprascriptis pro tempore et tempora deputabantur et cum eodem vitrico pecunias predictas que proveniebant ad dictum hospitale semper simul
bam in una cista sub duabus clavibus videlicet sub una clave mea et sub alia clave vitrici qui mecum pro tempore stetit et ea solebam cardinam seu cistam reservare semper cum dictis duabus clavibus reservavimus Et quum prefatus vitricus
dedit michi de pecuniis eisdem ad distribuendum in victum diversis pro expensis et necessariis infirmorum ac pro necessitate domus et familie hospitalis supradicti et de pecuniis eisdem quas recipiebam a vitrico ad distribuendum sic faciebam vo-
lens et hoc feci et faciebam omni mense per singulos annos quibus extiti magister eiusdem hospitalis Item ad tercium articulum non credo libros missalem viaticum librum psalterium librum Gradualem comparasse de bonis et pecuniis eiusdem hospitalis sed
confiteor dictos libros comparasse pro meis propriis pecuniis de laboribus meis acquisitis et circa ipsum hospitale acquisivit Item nego Crucem argenteam recepisse pro xl marcis sed confiteor quod recepi unam Crucem cupream et eandem Crucem comparavi
pro meis pecuniis propriis videlicet pro viij fertonibus et cum ligno sancte Crucis quod est in eadem Cruce donavit me dominus Jelitko canonicus Crucis Item eciam duos lapides viaticos non credo comparasse pro pecuniis eiusdem hospitalis sed credo eosdem viaticos
comparasse pro meis pecuniis propriis Item credo unam campanam vendidisse pro viij fertonibus et loco eiusdem campane emi aliam campanam pro iiij fertonibus et campanile construxi pro eadem campana et dicta campana adhuc pendet circa ipsum
hospitale Item eciam non credo duos ornatos comparasse pro pecuniis predicti hospitalis sed confiteor quod unum ornatum quedam domina ibidem dedit michi propter deum et pro anima mariti sui et unum viaticum ornati perfeci et legi tricesimum missarum et vigi-
lias et secundum ornatum emi pro meis propriis pecuniis Item ad quartum articulum nego quod dominus Johannes Jelitko canonicus Crucis predictus donavit cum ligno sancte Crucis predicto eundem hospitali sed credo quod me donavit cum predicto ligno sancte Crucis
Item ad quintum articulum credo quod pro tempore et tempora qua fui et extiti magister eiusdem hospitalis predicta bona tam spiritualia quam eciam temporalia regebam sed cum vitricis suprascriptis et sub eodem suprascripta Item non credo quod dictas res comparassem de bonis
et pro pecuniis hospitalis iamdicti nec eciam credo quod res memorate predicte essent hospitalis nec umquam fuerunt sed mee fuerunt et nunc sunt Item ad sextum articulum credo quod in predictis libris divina officia celebrabantur et cum predicta exponebatur
batur sed tamquam libri mei et tamquam res mee Crux mea et alie res mee tamquam mee et non tamquam res et libri et Crux hospitalis predicti Item ad septimum articulum nego quod predictum hospitale fuisset in possessione dictarum rerum sed ego sp-
fui et nunc sum in possessione earundem rerum tamquam meorum propriarum Item ad octavum articulum non credo ipsum hospitale de dictis rebus spoliasse sed confiteor quod recepi tamquam res meas predictas propriis comparatas pro pecuniis meis sed de laboribus meis
acquisitis et cum ipsum hospitale acquisivit Item non credo quod dicte res debentur restitui pro ipso hospitali sed credo quod debentur circa me remanere et teneri tamquam res mee et propter comparate pecuniis meis propriis Item non credo de premissis esse publicam vocem
et famam Ad probandum igitur in ipsis articulis contenta in eorum peticione per nos admissi testes non ullis motis pro certi tenoris litteris ad eorum instanciam citati ad terminum peticia extiterunt quibus comparentibus et in forma solita iuratis idem
testes debita cum instancia examinati fuerunt quorum dicta et deposiciones in scriptis redacta dicta et deposiciones eorum de consensu et ad peticionem ipsarum parcium publicata fuerunt et habita pro publicatis Contra quequidem dicta exceptionibus duplicis et productis
et replicacionibus sequentibus et non ullis aliis terminis in ipsa causa servatis et continuatis Deinde ipsis partibus ipsas in ipsa causa petentibus est per nos concludi fuitque per nos in ipsa causa conclusum cum ipsis partibus et habitum pro concluso. Termino itaque
ipsis partibus per nos adiudicando et audiendo sentenciam in huiusmodi causa diffinitivam nos iurisperitorum communicato consilio et assensu considerantes ipsius cause merita ipsarum parcium peticionibus coram nobis presentibus audientibus et asta-
tibus et ipsam nostram sentenciam ferri petentibus eam protulimus huiusmodi sub tenore. Christi nomine invocato pro tribunali sedentes solum deum prae oculis habentes diffinitive sentencialiter pronunciamus declaramus et diffinimus in hiis scriptis
in causa que coram nobis inter Nicolaum Johannem et ceteros Consules de Weliczka et Johannem Rectorem ecclesie de Robschicze super libris certisque rebus orta fuerat materia questionis prefatos Nicolaum Johannem et ceteros intencionem eorum
probasse et ex confessione dicti Johannis ipsum Johannem ecclesie Rectorem de Robschicze ad restitucionem librorum et rerum infrascriptarum missalis viatici Gradualis psalterii Crucis cupree deaurate duorum ornatuum campane lapidis
viatici vel ad solucionem triginta marcarum grossorum cum sedecim scotis quibus et dimisimus per eundem Johannem estimatarum per eisdem prelibatum Johannem Rectorem ecclesie de Robschicze Nicolao Johanni et ceteris et hospitali ibidem in
Weliczka condempnamus a ceteris contentis in libello Johannem predictum absolventes ad expensas partes hinc inde condempnados quarum taxacionem ex consensu nobis imposterum reservamus. Ad videndum itaque taxari expensas in huiusmodi
causa factas ipso domino Johanne reo mediante pro certi tenoris litteris ad terminum peremptorium competentem citato Citacioneque execucioni et reportata ad iudicium et tamen eundem expensas huiusmodi in ipsa causa factas per nos debita moderacione pre-
via ad decem marcas cum media et novem scotos taxavimus et expensis contra Quare supradictos actores debita fuimus cum instancia requisiti ut ad execucionem ipsius sentencie diffinitive procedere curaremus nos igitur attenden-
tes quod iniusta est accio si suo caret effectu volumusque ut iura condita nisi sit qui eadem tueatur. Vobis omnibus et singulis supradictis seu qui presentibus fuerint requisiti vel fuit requisitus in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis
pena qua in vos tamen dicta trina monicione canonica premissa quorum unum pro primo unum pro secundo et reliquum dictam tamen pro tercio et peremptorio termino ac una monicione predicta prefigimus et assignamus ferimus in hiis scriptis si ea que vobis precipimus
contempseritis seu neglexeritis aliqualiter adimplere firmiter eciam iniungendo mandamus quatenus personaliter descendentes ad ecclesiam in Robschicze postquam requisiti fuerint primo die solempni et festivo dum maior populi multitudo affuerit in ea
alta voce et intelligibili voce publice proponendo prefatum dominum Johannem inducendo efficaciter requiratis et moneatis quem et nos tenore presencium primo secundo et tercio peremptorie requirimus et monemus ut infra spacium quindecim
dierum a die monicionis ipsi per vos faciende quorum dierum quinque pro primo quinque pro secundo et reliquos quinque dies pro tercio vobis unum et singulis et peremptorio termino ac una monicione canonica prefigimus et assignamus libros
missale et viaticum Graduale et psalterium Crucem cupream deauratam duos ornatos Campanam lapidem viaticum mentionatos vel triginta marchas grossorum cum sedecim scotis per eosdem vestris Nicolao Johanni et
aliis Consulibus necnon hospitali in Weliczka det tradat et assignet cum effectu infra quorum spacium unius mensis post predictorum lapsum quindecim dierum cum mensis spacium nove pro primo nove pro secundo et reliquum tempus
pro tercio et peremptorio termino ac simili trina monicione canonica sibi prefigimus et assignamus decem marcas cum media et novem scotos nove expensarum in lite factarum eisdem consulibus et hospitali predicto solvat cum effectu. Alias
si secus fecerit nos ipsum exnunc prout extunc Christi nomine invocato excommunicamus in hiis scriptis quem vos sic excommunicatum publice in vestris ecclesiis semel adminus diebus in vestris ecclesiis singulis diebus dominicis et festivis
denuncietis tamdiu quousque nobis venit parere preceptis vobisque aliud a nobis habueritis in mandatis In quorum omnium et singulorum testimonium presentes litteras fieri et scribi mandavimus et nostri sigilli iussimus appensione
muniri. Actum et datum Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo die septima mensis Julii. Insignum debite execucionis presencium per vos facte et fiende litteras presentes sigillis vestris sigillatas reddite. Guillarius(?)

Concordia facta inter dominos Consules civitatis Wyeliczensis ex una
et honorabilem dominum Johannem plebanum in Robczycze olim magistrum hospitalis
eiusdem civitatis parte ex altera pro rebus ecclesiasticis per eundem receptis et sublatis

1391